



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,  
Nunquam Edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1601**

Epistola XXXVII. Dilectissimis in Christo Amicis Ill. Humilis Levita Salvtem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Dilectissimis in Christo amicis Ill.

HVMILIS LEVITA SALVTEM.

**S**OLET charitas literis appellare, quos oculis cernere non valet, quia apices chartarum amoris magnitudinem exprimere conantur, ut oculis legatur in syllabis, quod videri non potest in mentibus. Ideo vestra charissimi, memor germanitatis, hanc chartam vobis in commune direxi, ut cognoscatis, quantam pro vobis habeo sollicitudinem. quia nec terrarum longinquitas, nec temporum diuturnitas delere valuit, quo minus admoneam, quam magis diligam, desiderans salutis vestrae prosperitatem & in DEO credere, & in seculo scire. Ut vtrumque fiat, vnum est studendum, id est, DEO placendum.

Præterit, quidquid amatur in mundo: & solum periret, quidquid agitur in DEO. Ideo temporalia non cardeat iter ad æterna tendentium, dicente discipulo, quem diligebat IESVS: Nolite diligere ea, quæ in mundo sunt. Numquid ex umbra panis esuriens se saturare poterit? Umbra est seculi felicitas: vera tantummodo in futuro spectatur.

Nolite vinculis seculi teneri, nec laqueis diaboli ligati. Et vincula, quæ per confessionem, & pœnitentiam præcedistis, nolite reformare, ut liberæ manus valeatis releuare ad Dominum, & puro corde deprecari, quem toto corde amare debetis. Vigiliæ, & orationes sint assiduæ vobis. Beatus seruus ille, quem cum venerit Dominus eius, inuenit vigilantem. Vigilandum est in bonis operibus, non dormiendum in delectationibus carnalibus. Et ebrietatem, quasi perditionis foueam fugite, quia iuxta prophetam: Vinum & ebrietas aufert cor.

3. Ioan. 2.

Luc. 12.

Osee 4.

Pom



Pompas vestimentorum non sectemini. Beatus homo, qui non respicit in vanitates, & in insanias falsas. Melius est, animam ornare, quæ permanet, quam corpus vestimentis, quod putrescit in puluerem. dicente quodam PHILOSOPHO; Ridiculum est, in vanitate laudem querere: volens, vestimentorum superuacuas curas, vanitatem intelligi. Quod si plurimi hoc faciunt: scriptum est: Non sequeris turbam, ad faciendum male. Melius, cum paucis saluari, quam cum plurimis perire.

Scitote, cuius exempla diligentius sectamini, eius meritis maxime adhæreatis. Christus per humilitatem, viam nobis fecit in cælum. Quid superbiam prauorum sequimur? Angelus per superbiam prouit e cælo. Quid superbit homo terra, & cinis? Quis superbienti homini locus deputeretur, si angelo superbienti infernales pœnæ præparata sunt?

Non est opus vos, quasi incios, admonere: dum Evangelium Christi ante oculos habetis, legite, & intelligite, quid sit cauendum, vel quid obseruandum. Quod ibi scriptum, est necesse vt fiat, dicente ipsa Veritate, Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Item: Si quis diligit me, sermones meos seruat. Indiciũ dilectionis DEI est, mandata eius obseruare: & præmium dilectionis, visitatio diuinitatis; eo ipso promittente, quem diligere iubemur: Qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Pro me orantes valete viri fratres charissimi.

os(:)so

L 3

EPI-